

berg

7

96





139

1795

DE  
INDEFESSO MUTVAE BENEVOLENTIAE STUDIO  
HOMINI AB OMNI RERVM NATVRA VARIA  
RATIONE COMMENDATO.

---

O R A T I O

IN IPSIS VTRIVSQUE LAVREAE CONFERENDAE  
SOLEMNIBVS

DIE XXX. APRILIS MDCCCXCV

RECITATA

ET VITIS

VIRORVM EXCELLENTISSIMI PLVRIMVM REVERENDI  
CLARISSIMORVM ATQVE DOCTISSIMORVM

QVIBVS

SVMMI PHILOSOPHIAE ET POETICES  
HONORES

TRIBVTI SVNT

PRAEMISSA

A

CHRISTIANO GODOFREDO ASSMANN

DISCIPLINAR. CAMERAL. PROFESSORE.

---

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

1795



AD  
HABITANDUM  
SACRATAE  
SACRATAE

O R A T I O

IN HUIUS VITAE  
SACRATAE  
SACRATAE

ET VITAE

IN HUIUS VITAE  
SACRATAE  
SACRATAE

ORATIO

SACRATAE  
SACRATAE  
SACRATAE

ET VITAE

ORATIO

SACRATAE  
SACRATAE  
SACRATAE

ET VITAE

ORATIO





RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, EXCELLEN-  
TISSIMI, AMPLISSIMI, COMMILITONES GENE-  
ROSISSIMI, NOBILISSIMI, CARISSIMI, AVDI-  
TORES SVO QVISQVE ORDINE AC LOCO  
HONORATISSIMI;

**I**nexhausta redundant copia naturae fontes, e quibus omnia profluunt, quorum pulchritudine et abundantia, nunquam deficiente, omne totius vniuersi decus et ornamentum, omnis eius salus atque felicitas procreetur et augeatur; nullis itidem circumscribitur finibus benignissimae naturae vis et efficientia in gignendis ac largiendis homini fructibus, quibus vsui ipsius cuiusque prolixè liberaliterque inferuiat. Quo quidem nomine sane omnium temporum et gentium philosophi, poetae, rerumque naturae inuestigatores praestantissimi eam laudibus adeo eximie efferre conati sunt, vt iis plane nihil noui addendum, neque studium illarum laudum exponendarum vltèrius prosequendum esse existimarem, nisi eadem haec copia fontium inexhausta, eademque haec natu-



rae vis immensa, infinitum etiam vndique campum aperiret, quo magis magisque permeando, perscrutando ac detegendo, rerum naturae ipsarum praestantia, abundantia et vsus indies oculis quasi nostris non solum propius admouerentur, sed animorum etiam nostrorum sensui gratissimo, ex quocunque capite, argumentis toties augefcentibus, quoties ad contemplationem redierimus, commendarentur. Vsum illum rerum naturae varium non solum, ac quam maxime diuersum, immo etiam vim eius partim physicam, partim moralem esse nominandam, inter omnes constat. Nemo sanus vnquam affirmare audebit, fructus, ex almae naturae gremio colligendos, corporis tantum nostri conditionem nutriendam, conseruandam perficiendamque spectare, summam vim omnium non nisi eo redire, quo haec conditio melior, iucundior et suauior reddatur. Eiusmodi hominem profecto ne vlllo quidem grati, donisque naturae exhilarati animi sensu vnquam gauisum esse, recte contenderemus, eum mentem suam nunquam voluptati, delectationi gaudiisque innumeris, vndique munificentissimae naturae quasi manu nunquam quiescente ei oblati, aperuisse, merito arbitraremur. Quare iam exinde satis superque intelligitur, animi vires a natura non minus ali, pectorisque probi, et liberalitatis diuinae documenta agnoscentis, integritatem non minus, auxilio dotibusque naturae, excitari ac foueri, quam ea, quibus sola salus prosperitasque vitae mortalium nitatur. At vero hic non est acquiescendum, immo potius vltterius progrediendum et asseuerandum, multa quoque a natura nobis exhiberi, quibus, vt summum Numen hominemque diligamus, vt quodcunque virtutis studium ardentissime prosequamur, argumenta innumera grauissimaque afferentibus, moneamur. Huic itaque rei, et ab hac quidem parte spectandae, paululum nunc inhaerere apud animum constitui. Non enim  
illud



illud repetam rursusque nouis argumentis docere studebo, quod alii iamiam saepius ostenderunt, nimirum, ab insigni illa naturae praestantia, pulchritudine et elegantia, ab illo ordine, quo omnia teneantur, ab illa creatoris diuini liberalitate, quae vbiq̄ue eluceat, multa vtique esse petenda, quibus cum imitari, vitaeque integritate ac probitate, quoad vnquam fieri possit, perficienda, indies ei propius accedere iubeamur. Equidem non dubito fore, vt quilibet Vestrum, Auditores, tanta naturae rerum venustate, qua cuiuscunq̄ue hominis mentem alliciant, oblectatus, lubens etiam *de iis omnibus, quae in vniuersum ad vberissimam hanc materiam pertractandam referantur*, me denuo agere patiatur, dummodo aliquam saltem, nondum satis perspectam, partem me retextisse et sub oculis posuisse, vere contendere possim. At vero inter *singula* etiam, quae quotidie, legibus naturae iubentibus, existant atque eueniant, multa, varia diuersaque reperiuntur, digna profecto, quae summa animi attentione respiciantur, cum itidem ad singulam aliquam rem moralem, ad singulum quoddam virtutis officium, argumentis, vel aperte eminentibus, vel ex naturae latebris eruendis, commendandum, praecipue pertinere videantur; vnde quodammodo nouum aliquod delectamentorum genus contemplatori contingat, et ipsius sollertiae, noua quadam ac singulari ratione, naturae praestantiam et inexhaustam eius opulentiam perspiciat atque miretur. En igitur, Rector Academiae Magnifice, Auditores longe aestimatissimi, quid mihi pluribus nunc, venia Vestra, accuratius docere atque probare liceat; hoc nimirum, vt e multorum virtutis officiorum numero, quae rerum in natura visendarum et obseruandarum ratione eorundemque euentis, vario modo, praecipui videantur, vnum illud eligam, quod *mutuae beneuolentiae* nomine nuncupatur. Breuiter itaque agere studebo:





*de indefesso mutuae benevolentiae studio, homini, ab omni rerum natura, varia ratione commendato.*

Mutua autem benevolentia, cum in eo consistat, ut quaecunque bona, quibus salus prosperitasque vitae totius effici, augeri et conservari queat, invicem nobis curare et cupiamus et omnibus viribus perficere conemur; tria prae ceteris notentur, quibus huius benevolentiae sensus et agendi modus sese exserat; quorum quidem

*primum* pertinet ad indefessum studium perficiendi conditionem aliorum iucundissimam ac felicissimam,

*alterum* cernitur in ipsa auxilii, et comparandi, et praebendi alacritate ac facilitate,

*tertium*, in alienarum rerum cura, etiamsi periculosa ac difficillima euadat, haud grauatim suscipienda. Rerum naturae autem praestantissimam rationem, diligentius consideratam, neququam laborare inopia eorum, quibus tria illa, quae vel maxime respondeant benevolentiae praeceptis, intento hominis animo apprime significantur, *partim Geologia, partim Physiologia plantarum, partim etiam animalium Historia*, exemplum ministrante, demonstrabo.

I) Videamus primo, *quomodo indefessum studium perficiendi conditionem aliorum iucundissimam ac felicissimam*, etiam ab iis rebus in natura visendis, quibus *Geologia* occupatur, homini commendetur?

Montes eorumque tractus, quo tempore gignerentur, maxime accliuves atque praeruptos omnes existisse, ut, et cacuminum altitudine, et cliuorum asperitate undique terrorem incuterent, iam cuiusque, non nisi perfunctorie telluris superficiem consideranti, facillime apparet.

Testis





Testes sunt frequentes illae rupium, quae, arcium instar, iugis impositae ubique conspiciantur, ruinae. At vero delabuntur paulatim rupes imminentes et diminuuntur cliuorum asperitates. E vertice deiectae et ad radicem montium proruentes, ipsius ambitum augent et fundamento sunt aliis, quae deinceps deuoluantur; sic vero omnia magis magisque firmanentur, innituntur superiora inferioribus, montium decliuitates leniter tantum eminentes attolluntur, et placida immotaque quiete omnium quaquaersum prolata, totius terrae superficiem totamque eius conditionem tutiorem indies et, ab hac parte certe, minoribus perpetuo disturbanceibus obnoxiam reddi, plane intelligimus. Accedit etiam, quod cuncta plantarum genera in eiusmodi terrae locis, molliter surgentibus et nullo amplius impedimento vexatis, quotidie magis inualescant et augeantur, ita, ut in editioribus regionibus, quae olim vix muscorum quorundam, vel graminum velamine gauderent, nunc quidem et arborum celsissimarum nemora suis quasi finibus occupatis gloriantur, et herbarum fragrantium agri opulentissimi floreat, laeto pecudum mugitu, et grato pastorum clamore, diuitias eorum celebrante, resonantes. Quod satis superque Alpium Helvetiae, Comitatus Tiro-lensis, aliarumque regionum montanarum tractus mirum in modum probare videmus. Augescentibus autem ac quaquaersum prolatis quibuscunque plantarum generibus, ipsa illa loca magis magisque firmentur, eorumque fundamenta fortius inter se haereant, necesse est; quare et hinc sequitur, rerum naturae ratione, nexu atque conuenientia incrementum indies capiente, conuersionibus et perturbationibus imminutis paulatimque euanescentibus, omnem telluris superficiem tutiorem indies et perfectiorem reddi, regionum denique virentium copia et ambitu quotidie aucto et amplificato, ipsius amoenitatem, suauitatem, fertilita-



gilitatem atque vbertatem praestantiorem subinde maioremque esse euasuram. En itaque, quibus argumentis innitentes, profecto affirmare possimus, naturam perpetuo eo tendere, vt et priorem hanc mortalium sedem, primum hoc deuersorium hominis, in itinere ipsius in aeternum prosequendo, quo ad altiora perpetuo progrediatur, peropportunum efficiat. En igitur etiam, quibus argumentis probare queamus, naturam hic quoque legi obtemperare nunquam abrogandae, quae omnia subinde ad meliorem exoptatissimamque conditionem prouehere iubeat, legi illi supremae ac praestantissimae, quam benignissime tulerit summa Numinis aeterni beneuolentia. Quibus nunc quidem rite perpenfis, nonne etiam hanc meam sententiam optime stare posse, quisque Vestrum, Auditores, concedat, nimirum, inanimatarum quoque naturae virium conatus creandae amplificandaeque magis magisque amoenitatis, fertilitatis et elegantiae, quibus et haec vitae mortalium agendae destinata sedes ornatur ac condecoretur, hominem magnopere monere, vt, quae circa se fieri sentiat, sedulo imitetur, vt et omnium circa se vitam degentium conditionem pro viribus semper et iucundiorem reddere et laetam seruare, sic vero animum mutuae beneuolentiae fauentem studeat declarare.

II) *Physiologia plantarum* alterum mihi suppeditet exemplum, quo eadem haec sententia probetur, *ab ea parte praesertim spectata, qua nimirum mutua beneuolentia et comparandi et praebendi auxilii alacritatem ac facilitatem respiciat.* Vniuersam autem naturam atque rationem plantarum etiam ab hac quidem parte posse animo perpendiculari intueri, intelligitur praesertim, perspectis auxiliis ac commodis iis, quae partes ipsarum inuicem sibi praestare soleant; iis praeterea, quae tam multa  
plan-



plantarum genera homini et ceteris animalibus praestent; denique iis, quae, ut eo prosperiori successu beentur, ipsis aliunde ferantur. Ad priora commoda et auxilia, quae ipsarum partes inuicem sibi praestare soleant, pertinent etiam, ut vno saltem exemplo meam mentem exponam, illa, nunquam satis admiranda, opera naturae, quae, partim staminibus, partim pistillis, uti vocantur, commigrantibus <sup>a)</sup> perficiuntur, quibus, quasi sponte hoc fieret, inuicem appropinquantibus et recedentibus deinceps, foecundatione peracta, plurium herbarum florumque, Rutae v. c. graueolentis, Nigellae fativae, Althearum, Lauaterarum, Maluarum, aliarumque propagatio feliciter procedit. Quod autem ad illa commoda attinet, quibus innumera plantarum genera homini ceterisque animalibus inferuiant, quis est, quem fugiat ingens immensaque illa herbarum, graminum, florum fructuumque copia, qua omnia, quae vita fruuntur, spiritumque ducant, alantur, oblectentur et exsultent? quis est, qui illam diuitiarum abundantiam ignoret, quas apum industria ex arborum herbarumque floribus variis colligat, e quibus

„excudunt ceras, et mella tenacia fingunt;“ <sup>b)</sup>

quis est, qui nesciat tam multarum virium benignitatem, quibus illa herbarum multitudo etiam ad seruandam recuperandamque valetudinem omnium animantium valeat et adhibeatur? — Quod denique attinet ad auxilium, quo similiter plantae, almae benignissimaeque naturae cura sustentatae, aliunde iuuentur, luminis tantum mentionem faciam, quo omnes mirum in modum recreari, refici et lactari intelligimus, ad cuius

a) *Wandernde Befruchtungswerkzeuge*; vid. Sackow *theoretische und praktische Botanik, Erster Theil*. p. 164.

b) Virgil. *Georgic. L. IV. v. 57.*



cuius usum permultas omnibus quasi viribus tendere, quod, sicut quasi ardentibus, vehementer appetere, mirabundi videmus. Rem sane relatu dignissimam exemplo, omnium grauissimo, exponam, ab hedyfaro gyrante mihi suppeditato. Innotuit planta primum inter botanices cultores, duobus illis rerum naturalium inuestigatoribus, quorum inclyta nomina sunt Banks et Solander, ex insulis australis Oceani reuertentibus, vnde cum tam multis aliis rebus, vsque ad illud tempus ignotis, adportaretur. Maxime vero notabilis est mirifico suo ardore, quo lumini solis quasi totam se tradere gestiat, cuius vi resouente adeo gaudeat et afficiatur, vt maioribus non solum foliis omnibus solem versus protensis, immo etiam toto ipsius scapo, in eandem partem inclinate, tamdiu in eodem situ permaneat, quamdiu radii solis eam resoueant, aliis foliis minoribus, dum hoc fiat, sine vlla quiete, perpendicularum instar, huc et illuc agitatis. Sole autem occidente, vel nube saltem, aliave re lucem radiorum impediante, statim omnes cessant plantae motus atque conatus, foliis omnibus, quasi tristitia afficerentur, languescuntibus atque demissis, nec vnquam immutatur languoris species nocte regnante; primo autem radiorum lumine relucente, omnes illico hedyfari recreantur vires, omnem recuperat alacritatem. c) — En igitur hic quoque almae benignissimaeque naturae curam haud difficulter perspiciendam, qua beneficiis cuncta cumulante, ferre auxilium auxilioque vti iubeat vbique, qua et hic praestandi mutui adiumenti rationem designet, sicque homini mutuae benevolentiae officia exercenda commendare videatur.

III)

c) vid. *Magazin für das Neueste aus der Physik und Naturgeschichte etc.* VI. B. 3. St.



III) Restat, vt tertio tandem exemplis, ex historia animalium defunctis, eandem hanc benevolentiam etiam *ab hac parte* nobis tradi demonstrem, *qua in alienarum rerum cura sese exerat, etiamsi periculosa ac difficillima euadat, haud grauatim suscipienda.* At vero exemplis eiusmodi egere nemo profecto potest, qui vel ferarum, vel animalium domesticorum, et si paucorum saltem, vitam, morem ac rationem cognoscat. Sed duo tantum, quae Vobis enarrare liceat, Auditores, certe sufficient ad meam sententiam penitus firmandam; alterum, e periodico quodam libello, <sup>d)</sup> qui non parum fidei et auctoritatis habeat, depromptum, alteram, cuius animaduertendi opportunitas ipsi mihi saepius contigerit.

Tempore anni 1778 autumnali, venatores motacillam, fororibus suis omnibus iam diu in alias regiones calidiori aura aestiua fruenter profectis, pabulum sollicito et anxie quaerentem animaduertentes, mirati, curnam sola remansisset, mox eam volentem e quercu vicina saepius reuerti intelligebant, et cum propius accederent, aliam inueniebant longe maiorem, ac plane alius generis abem, e quodam arboris foramine caput exferentem, quae pabulo, difficulter ac cum multa molestia quaesito et allato, a liberali illa motacilla aleretur. Cuculus erat, haud dubie suavi illius cura ouo exclusus, qui nunc quidem adultus corporis-que magnitudine impeditus, quo minus ex arboris foramine euolare posset, maternum blandae nutricis amorem ita occuparet, vt lubentissime suae ipsius vitae, securitatis atque salutis iacturam facere auderet,

B 2

hyeme

d) *Deutsche Monatschrift. Berlin, 1794. 4tes Stück p. 364 sq.*



hyeme fameque, iam propinqua, ipsi minante, cuius acerbitate, sine dubio post breue tempus, deploranda absumeretur. —

Iam ad aliud exemplum transibo, cuius testem ipsum me possum nominare, eo tempore centies obseruatum, quo vitae anteaetae partem periuicundam laetamque ruri traducerem, et eorum, quibuscum uiuerem fauore, familiaritateque, et laborum, quibus me occupatum gratus sentirem, dulcedine pariter exhilaratam. Villae, e) fedi aestiuae nostrae vicinus, molitor vicanus, filiam habebat vix duos annos cum dimidio agentem, toto die in agro huc et illuc discursantem, nemine eius vitae tuendae, aut vllius periculi auertendi curam vnquam gerente, cum probe scirent parentes, eiusmodi cura neuiquam opus esse, placido molitoris cane domestico, puellae comite ac familiari addictissimo, perpetuo eam acriter custodiente. Sollicitudo enim eius adeo erat insignis et operosa, vt cuiusque obuiam venienti puellamque alloquenti vultum minacem, multumque diffidentiae prae se ferentem, ostenderet, simulatque vero blandissime haberi intelligeret suae tutelae creditam, statim nimia laetitia et eximiis blanditiis, quibus amicos adiret, continuo exsultaret. Sed vnum illud, ceteris sane omnibus maiori admiratione dignum erat, nimirum quod, cum e domo abeuntes ponticulum transire deberent, lorica non nisi a dextra munitum, canis optimae sane indolis, — quis enim hoc neget? — semper laeuam occupare, arctissimeque haerere solebat lateri puellae, ne forsan titubaret et delaberetur. —

Quis

e) *Klein-Wolmsdorf.*



Quis est, Auditores, qui hic quoque se non noscitate dicat conatus naturae animatae, quae omnibus suis viribus intensis ad hominem iuandum, ad commoda eius efficienda et augenda, connitatur? qui pariter non concedat, eam argumentis innumeris et grauissimis hominem commonefacere, vt, quo beneuolo propensoque animo animalia aliis opitulari, hominibus etiam vsui et oblectamento esse vltro conentur, eodem ipse agere ac ceteris omnibus se superiorem praestare cupiat, mutuae benevolentiae studio atque amore, aequalibus suis et omnibus reliquis animantibus diligentissime declarato. —

Benevolentiae sensus omnia vtique spectat, cuius quasi nota omnium animos alliciente, omnis rerum natura insignita gloriatur. Eum vtique eodem modo rerum naturae inanimatarum respicere ordinem ac rationem, quo cunctorum animantium conditionem, consociationem nexumque perficiat, augeat, atque tueatur, illico apparet. Eo iubente cuncta hominem vndique his quasi verbis affantur: „Summum illud  
„aeternumque Numen, summa tua pietate colendum et adorandum,  
„summa etiam sua benevolentia duce totius naturae, totius mundi rationem praestantissimam effecit, leges constituit, quibus omnia obtemperant, et omnes decreuit prosperrimos rerum successus. Legem illam, quae benevolentiae studium praecipiat, tibi quoque summam ac praestantissimam habeto. Sic vero te senties ad creatoris benignissimi similitudinem in dies propius accedere.“

## CHRISTIANVS EHRENFRIED TZSCHASCHEL,

Zittaviae lucem adspexit, ubi pater, pannifex, eum suscepit, a. h. l. MDCCLVII, ex matre Christiana Dorothea, e gente Bergmannia. Patrem in se educando atque iuvando nullis pepercisse sumptibus gratissima mente fatetur. Matrem maturius se amisisse luget, se vix in lucem edito, funere extinctam. Annos sexdecim natus receptus est in Gymnasium Zittaviense. Hic usus est disciplina Giffelii, Iaryi, Muelleri, Fröhaußi et Richteri, quos viros omnes praeclare de se meritos miris laudibus praedicat. E qua schola, quae, veluti alma mater, per plures annos sinu eum fovit, dimissus, Vitebergam adiit, Rectore Magnifico Pauli. Literis theologicis ita se dare coepit, vt philosophicas et humaniores haud quaquam negligeret. Disciplinas philosophicas hausit ex institutione Reinhardi. Religionis christianae studium duce eodem secutus est atque Tittmanno, quem praeterea omnes N. T. libros explicantem audiuit. Schroeckhii scholas se etiam adire potuisse, magnopere sibi gratulatur; a quo et catholicam historiam didicit et ecclesiasticam. Hillero perfectiorem debet literarum humaniorum, Titio physices theoreticae et experimentalis cognitionem. Antonio asseclit initia hebraicae linguae tradenti, et librum Geneseos interpretanti. Reinhardo praeside exercitationibus operam dedit differendi et scribendi. Quadrennio hic praeterlapso, reuersus est in patriam, ubi liberis honestorum parentum quorundam instituendis operam impendit annuente Deo prosperosque successus largiente. Anno MDCCXCIV prouidentia diuina rerum suarum curam ita gerente, Ordini Senatorio Zittaviensi, cui se innumera debere ingenue profitetur, eum admouere placuit muneri pastoris substituti ecclesiae Megalo- et Neo-Schoenauienfis. Anno vero MDCCXCV, ab eodem amplissimo Senatu ecclesiae Megalo- et Neo-Ionsdorfsensi se esse praefectum refert, cuius beneficii, benigne liberaliterque sibi tributi, memoriam per omnem vitam se esse culturum, gratissimum vero etiam animi sensum vt et Deo et Patronis optimis



mis perpetuo declaret, indefesso studio laboraturum, sancte pollicetur. Ob virtutis igitur doctrinaeque praestantiam dignus quoque ab Ordine meo est iudicatus, qui summis ornaretur in philosophia honoribus.

### FRIDERICVS GVILIELMVS NITZSCHKIUS,

Naunhofii, qui est vicus in Lipsiae vicinia situs, anno huius aetatis LXIII patre natus est Ioanne Godofredo, caementario, matre Maria Regina Printzia; qui quidem parentes optimi, quos adhuc superstites veneratur, mature eum religionis et litterarum elementis imbuendum, ludo Naunhofensi crediderunt, vbi a Fuhrmanno et Staepfio, nunc Gymnasii Schleusingensis Cantore, sedulo ac fideliter institueretur. Quo hinc abeunte, parentes Albano, tunc temporis Beuchensium pastori, eum instituendum tradiderunt; anno autem vno et semestri praeterlapso, hunc etiam reliquit, vt Kayseri, tunc temporis in eadem schola, in qua noster nunc ipse munere praeceptoris fungitur, cantoris institutione frueretur, quem, perpetuo sibi carissimum ac maxime venerandum, tantam, ait, in se erudiendo impendisse diligentiam, vt iam anno LXXVII inter alumnos scholae, quae Grimmae floret, electoralis reciperetur. Hic vero per integros sex annos doctoribus clarissimis vsus est, Krebsio, Musckio, Hoffmanno, Reichardo, Hochmuthio, Richtero, quos omnes, et praecipue Muickium, praeclare de se meritos esse, gratissima mente proficitur. Anno LXXXIII Lipsiam petiit rectore Burschero, vbi statim ab initio philosophicas frequentauit scholas Petzoldi, Seydlitzii, Platneri. Latinarum litterarum studium prosecutus est Ernestio duce; graeca Beckio praeeunte didicit; historiciis praelectionibus Burscheri et Wenkii interfuit omnibus. Iam ad theologiam conuersus, dogmaticae parti atque morali accurate cognoscendae operam dedit praeeunte Schwarzio, Moro, Koernerio. Vt V. et N. T. libros probe intelligeret, Dathium, Morum, Schwarzium, Schlenkerum, Boffeicum et Wolfium audiuit. Prudentiam pastorem, historiam sacram artemque in sacris dicendi, ei tradiderunt Koernerus, Schwarzius et Petzoldus. Horum doctorum omnium, quorum doctrina et praeceptis instrueretur, dexteritatem et fidem ingenue laudat grataque mente agnoscit ac per totam vitam pio animo se veneraturum esse spondet. Inter eos vero, quos, vt studia possit



posset feliciter absoluere, rei eius familiaris angustiae maxime succurrisse dicit, praecipue numerandum censet probum illum ciuem ac seruariarium Lipsiensem, Schulzium nomine, ipsi cognatum, qui filiam ei traderet instituendam, eum in domum reciperet, aleret, sustentaret, multis quoque et magnis aliis beneficiis cumularet. Trienni academici spatium emensus, Beucham accessit, ad Hennigii, molitoris, liberos instituendos, vnde, vno anno et quod excurrit peracto, Penicam se contulit, vbi in familia Dienemanni, Iuris vtriusque doctoris meritissimi, per tres integros annos et dimidium, praeceptoris domestici munere functus est. Giesmanno, scholae Grimmenfis oppidanae Confectore, emeritorum iure donato, anno MDCCXCI in illius locum substitutus, d. XXVIII Aug. hoc munus suscepit, et mortuo seniori, duobus annis post, tota ipsi concredita est Collegae II prouincia. Cum vero rogaret, vt summi philosophiae honores sibi tribuerentur, Commentationem simul exhibuit nobis, in Senecae sententiam: „Angusta est innocentia ad legem esse bonam“; quo eruditionis documento proposito, Ordo meus eum philosophiae Doctorem et artium liberalium Magistrum creauit.

#### CHRISTIANVS CAROLVS HENTSCH,

Natus est in pago Lusatiae inferioris, cui nomen est Niwerla, anno h. l. LXVII, patre Christiano Theophilo, qui adhuc munere ludimoderatoris ibidem fungitur, matre Ioanna Elisabeth, ex gente Schulziana, quam ante tredecim annos iam mortuam deplorat, et cuius pietati permulta se debere gratus agnoscit. Patri tamen optimo plurima se accepta referre non minus libenter profitetur. Fundamentis quibusdam nonnullarum disciplinarum in pago patrio positis, anno aetatis decimo quinto scholam Gubenensem accessit, vbi praeceptoribus gauisus est, Hüttnero, Schulzio, Scharfchmidio et Doeringio. Praecipue autem Boettigeri, qui nunc quidem Gymnasio Vinarienti praeesit, institutione, consilio atque exemplo adiutus est atque auctus, neque eum maximi aestimare, eique summas quas possit gratias agere, immo habere vquam desinet. Beneficiorum quoque, quibus ciues ipsum ornauerunt Gubenenses, gratissimo animo se semper memorem fore, sancte promittit. Octo tandem annis fere elapsis, Vitebergam petiit, vbi anno MDCCXC



MDCCXC, me Reclere, in numerum ciuium academicorum est receptus. Quantum pluribus debeat Viris celeberrimis, Reinhardo praefertim, Nitzschio, Schröckhio, et Drasdoni, qui dogmata religionis nostrae eiusque et emendatorum sacrorum historiam, philosophiam, artem exegeticam, historiam catholicam, nec non iurisprudentiam pastorem, ipsi tradidere, nunquam obliuioni tradet. Ob res tamen angustas choro musico per biennium et quod excurrit, interfuit, literasque illo quidem tempore, ea, qua opus esset, assiduitate colere non potuit. In hac tanta egestate soror dilectissima, quam nunc praematura eripuit mors, pro viribus eum subleuauit, sicuti quoque Comes Illustriss. Curt de Callenberg, patronus sanctissime venerandus, eximius eum cumulauit beneficiis, quae omnia ad cineres usque grata tenebit memoria. Nunc vero omnes vires muneri Collegae V. ad scholam oppidanam a Senatu Vitebergensi ipsi demandato tribuere, eique omnino satisfacere assidue studet; quod, vt fausto felicissimoque semper gaudere iubeat progressu, Deum O. M. ardentissime obsecrat. Precibus autem lauream philosophicam petentis eo lubentius annuimus, quo certius nobis de eius dignitate constaret.

### G O D O F R E D V S M A R T I N I,

Otterwischienensis, ministerii sacri candidatus, parentibus agrum colentibus in illo pago, prope Grimmam, natum se esse, refert. Dogmatum religionis christianae discendorum cupiditatem, qua pueri animus iam eximie incendebatur, perpetuo augendam, probitas ipsa pietasque parentum sedulo curauit. Auctores igitur in tempore extiterunt, vt in schola natalis soli iam institutione salutari frueretur; postea vero eum Foldae, AA. LL. Magistri atque sacrorum curatoris apud Otterwischienenses, disciplinae crediderunt, quo duce etiam didicit prima latinae graecaeque linguae rudimenta, neque profectus fecit plane contemnendus. Crescente interea magis magisque religionis et literarum amore, diuina prouidentia benignissima rem eo direxit, vt primum scholae Thomanae discipulorum extraneorum, nec multo post alumnorum, vt vocantur, numero adscriberetur. Septem vero per annos praeceptorum scholae Thomanae disciplina instructus, ipsam Academiam, quae floret Lipsiae,

C

adire



adire non dubitauit. Itaque, Belio rectore inter ciues academicos relatus, plurium doctorum grauissimorum scholas frequentare coepit, Koernerum, Schwarzium, Morum, Dathium, Bosseckium, Wolfium aliosque rerum diuinarum scientia praeclarissimos viros, dogmata religionis tradentes, controuersorum dogmatum historiam enarrantes, psalmos Messianos interpretantes, nouumque testamentum explicantes, non nisi magna semper animi voluptate se audiuisse, praestantissimosque fructus inde collegisse, gratissima mente profitetur. Summos in philosophia honores cupienti Ordo noster eo facilius annuit, quo satius iis se dignum esse demonstrauit dissertatione, nobis transmissa, de descensu Christi ad inferos.

### AUGVSTVS GODOFREDVS WAGNER,

Natus est Plauiae, anno h. f. LXVI. patre Augusto Godofredo, Iudi Plauiensis Collega VI. matre Ioanna Eleonora Wohlfarthia, quam, morte praematura sibi ereptam, nunquam lugere desinet, cuiusque memoriam pia mente perpetuo integram seruabit. Sub ipsius patris fidelissimi cura et auspiciis prima et religionis et litterarum elementa didicit; aetate autem prouectiori monente, in numerum discipulorum scholae patriae relatus, praceptoribus vltus est Gritznero, τῷ πρῶτῳ ἐν ἀγορίῃ, Recknagelio, Nestore, Schürmeistero, Irmischio, cuius quidem viri beati memoriam perpetuo gratissima mente se celebraturum esse, pollicetur, quippe quem ducem egregium in discendis litteris et artibus, auctorem suaforemque pietatis atque virtutis exercendae se semper habuisse, ingenue profitetur. Idem lubenti ac gratissimo animo fatetur, se reliquorum etiam praceptorum institutioni et amori profecto multum dehere. Laudat et veneratur consulum et senatus fauorem, stipendio, ipsi benenole collato, declaratum. Quo maxime adiutus Lipsiam adiit anno MDCCLXXXV, vbi, b. Schwarzio rectore, in numerum ciuium academiae relatus est. Operam dedit scholis Seydlitzii, Platneri, Schwarzii, Mori, Burscheri, Hempelii, Waldii, et Rosenmülleri, cuius singulari erga se beneuolentia et amore praecipue gloriatur. Curriculi academici annum primum emensus, Vinariam profectus est, vt stipendium obtineret, ibique ab Herdero et Zinzerlingio examinatus, Lipsiam rediit.

rediit. Anno LXXXVIII Rosenmülleri et Weiffii suffragatione Libero Baroni de Korff, Curoni, commendatus, partes suscepit domesticæ præceptoris; qua quidem opportunitate feliciter oblata, contigit ei notitia familiaritasque plurium Virorum celeberrimorum, Ockelii, Küttneri, Stenderi, Lenzii, Sontagii, Göezii. Partem ibi ætatis sane prosperrimam se transegiſſe ait ac iucundissimam. Cum vero etiam in illis locis turbæ existerent, patris etiam valetudo infirmior euaderet, eo suadente patriam rediit. Gratus adorat et agnoscit diuini Numinis benignitatem, quæ, in omnibus vitæ et rerum suarum vicissitudinibus saluum eum sospitemque seruauerit. Sperat etiam fore, vt, eadem diuina benignitate iuuante, reliqua eueniant, et sibi, et aliis iucundissima ac fructuosissima. Ingenii doctrinaeque præstantiam comprobauit dissertatione, *de fine artium humanitatis atque vi, quam in hominis animum habeant, nobis transmissa*; quare etiam magisterii honores rite petenti ab Ordine meo collati sunt.

#### FRIDERICVS TRAVGOTT MICHAEL,

In lucem prodiit Laubani anno MDCCCLXXIV, patre Carolo Friderico, calceario, matre Ioanna Elifabetha, e gente Drechsleriana. Qui quidem parentes probi bonique non solum maximam educationis curam gesserunt, sed etiam auctores fuere, vt ad pietatem, quæ est religionis christianæ, informaretur, et Dehmelio aliisque magistris, literarum disceret rudimenta. Anno ætatis fere vndecimo lyceum patrium ingressus, pro suo ingenio et studio, tam publice, quam inter priuatos parietes præclara optimorum virorum, b. Hirschii nimirum, Rosii Beckerti, b. Kofchii, maxime vero Becheri et Goebeli, doctrina instructus est; quorum omnium candorem fidemque laudat et agnoscit pia gratissimaque mente. Suadentibus his præceptoribus optimis, parentum fidelissimorum auxilio adiutus, anno MDCCXCIII Vitebergam delatus et rector Webero ciuitatis academicæ iure donatus est. Schroeckhium, historiam ecclesiasticam, sacrorum instauratorum, orbis vniuersi et Saxoniae, Ebertum, mathesin puram, Klotzschium, philosophiam et historiam N. T. criticæ cognitionem tradentes audiuit. Krugio in encyclopaedicis lectionibus adfuit; Nitzschius dogmaticam et theologiam




moralem eum edocuit; exercitationes homileticas Dresdio duce frequen-  
tauit; interpretationem scripturae sacrae e praelectionibus Weberi, de  
psalmis disserentis, Antonii, librum lobi enodantis, Drasdonis, Acta  
Apostolorum explicantis, praecipue se didicisse affirmat. Frankium  
quoque et Rosenbahnium secutus est, illum, in enarratione euangelii  
Matthaei, hunc, in expositione epistolae ad Romanos. Matthaei scho-  
lis interfuit in explicatione librorum aliquot Xenophontis; scholis Meer-  
heimii in interpretandis Virgilio Georgicis; Henrici, in tractando Sue-  
tonio. Omnium illorum praeceptorum benignam erga se voluntatem  
religiose colit et obseruat, optat denique, vt Deus, ex quo pendeat  
omnis vera salus prosperitasque, ipsorum incolunitatem et vitam maxi-  
me felicem tueatur in perpetuum. Ex horum virorum scholis nostrum  
retulisse eruditionem non contemnendam, intelleximus commentatio-  
ne *de magno prosperoque progressu doctrinae christianae, temporibus  
Apostolorum propagatae*, nobis exhibita, quare etiam non dubitauimus,  
quin AA. LL. Magistri dignitate, qua augeri cuperet, ritu solemnii esset  
ornandus.

#### ADOLPHVS HENRICVS MELTZER,

Bischofswerdae, parentibus honestis, natus, prima literarum elementa  
e priuatorum praeceptorum institutione hausit; studiis deinde literarum,  
in academico cursu prosequendis, diligenter praeparatus; Academiam  
adiit, in qua philosophiae praecipue et bonis artibus operam dedit. Spē  
fretus quadam, omnino bona, quae consilio aliquo capto niteretur, alia-  
rumque rerum ac negotiorum gerendorum causa, Berolini per aliquot  
tempus versatus est, vbi, ne haec quoque aliquamdiu ibi commorandi  
opportunitas sine fructu praeteriret, librum edidit, ita inscriptum: *Ari-  
staeus und Philalethes, über das Gefühl des Moralischen*. Dexteritate  
partim atque ingenii facultate, quam declarasset, partim virorum cele-  
berrimorum auctoritate, quorum legitimo testimonio nobis commenda-  
retur, commoti, ipsi, rite petenti, summos philosophiae honores me-  
rito esse tribuendos, vtique sumus arbitrati.

GEOR.

 21

**GEORGIUS DAVIDES MEYER,**

Dahmae se natum esse refert anno MDCCLXIX. patre Christiano Friderico, Iureconsulto, morte praematura ante aliquot annos iam sibi erepto, cuius memoriam ad cineres vsque mente gratissima se esse celebratum pollicetur. Matre, Sabina Friderica, e gente nobili von der Heyde, adhuc supersiste, se mirifice laetari testatur ardentissimisque votis precatur, vt Deus eam ad fera vsque tempora saluam et incolumem conseruare tuerique velit. Prima elementa literarum, linguae graecae, latinae et gallicae pater eum docuit. Deinde per quinque annos Iohannam, quae Luckauiae floret, frequentauit, vbi inprimis praeceptorum praeclare de se meritorum, Wolfii nimirum et Fürstenhauptii, disciplina vsus est. Ita praeparatus anno h. f. LXXXIX Lipsiam se contulit, Platnero fauces tenente. Vtus est doctoribus in philosophia addiscenda, Platnero atque Heydenreichio, in historia vniuersali Hilschero, in politica Wielandio. In historia iuris cognoscenda, in Institutionibus et Pandectis secutus est Hauboldum; in iure germanico, criminali, canonico, in processu denique audiuit b. Schottum; in iure feudali ac notitia publici iuris germanici Bienerum. Artem ex actis iudicialibus referendi Einertus eum docuit. Scholis interfuit disputatoriis et examinatoriis a Fleckio apertis. In iure patrio Stockmannum habuit praeceptorem; silentio denique praeterire non potuit Leonhardi praelectiones de re saluaria, e quibus permultos se collegisse proficetur vberimosque fructus. Edito doctrinae suae specimine, quaestionem; *an philosopho imperii forma omnino aliqua, et quaenam, sit appetenda?* pertractante; Ordinem Philosophorum Viteberg, vt ipsi concederetur magistrerii dignitas, decenter adiit; qui eum, dexteritate honoribus digna, documentis probata, voti compotem reddere neutiquam dubitauit.

**GOTTLOB HENRICVS KAPPAHN,**

Natus est Numburgi anno h. f. LXXII, patre Adamo Abrahamo, Capituli St. Thomae procuratore, et matre Maria Elisabetha, ex gente Saalia. Parentes, quorum mortem pia mente luget, eum omni, qua potuerunt, cura educatum, scholae postea tradiderunt cathedrali, quae Numburgi



est, ubi praefertim non potest non Ditzii, Collegae III: in se collatam operam laudare. Tum vero eum excepit aluitque schola electoralis Portensis, in qua per sex annos, cum laude, moratus est: ibi quantum debeat viris optimis, Geislero, Barthio, Hildebrandtio, Gehio, Weiskio, Libelio, Schmidtio, verbis exprimere nequit. Ita quidem praeceptorum fidelissimorum cura, studioque in eum erudiendum collato, omnibus bonis et elegantioribus literis imbutus, Lipsiam petit, ibique in civium academicorum numerum, anno XCI, Beckio rectore, relatus est. In philosophia Caesarem, Seydlitzium et Platnerum, in historia ecclesiastica Beckium et Burscherum magistros habuit. Denique liberorum educationi, quos paterna nonnullorum civium Lipsiensium cura ipsi commiserat, non sine fructu se praefuisse lactus semper recordabitur. Cum vero ab Ordine nostro petisset ut philosophiae laurea ornaretur, doctrinamque suam, exhibita dissertatione *de pessima imperii forma*, demonstrasset, auctus est, consentiente Ordine Amplissimo, philosophiae doctoris honore.

#### IOANNES GODOFREDVS HILDEBRAND

Natus est Dresdae anno h. f. LXVIII, patre, probo ac honesto, Ioanne Godofredo, pistore, matre Dorothea Sophia Hupperta, cuius utriusque parentis innumera beneficia grata memoria semper prosequetur. Postquam mature in scholis priuatis prima rudimenta litterarum et religionis didicit, missus est in scholam, quae dicitur ad St. Crucem; ubi usus est praeceptoribus b. Homilio, b. Meisnero, Haentschelio, Beutlero, Olpio; quorum in se instituendo fidem animo gratissimo agnoscit. Vi-tebergam inde delatus, anno LXXXVIII, civibus academicis est adscriptus, Schmidio fasces tum tenente. Hic vero complurium doctorum, Dresdii, Reinhardi, Schroeckhii, Matthaei, Titii, Meerheimii, Klotzschii, Goerenzii, scholas theologicas, philosophicas, historicas aliisque doctrinis et artibus tradendis destinatas, multo cum fructu frequentavit. Quibus praeceptoribus omnibus optimis quantum debeat, se verbis fat dignis eloqui non posse, ingenue fateretur; spondet autem memoriam beneficiorum nunquam profecto intermorituram. Nunc, studiis academicis feliciter absolutis, se, iam in numero Candidatorum Reu. Minist. positum,



fitum, etiam summis in philosophia honoribus velle ornari, precibus, quibus Ordinem meum decenter adiret, rite declaravit, a quo dignus etiam est indicatus, qui philosophiae doctor renunciaretur.

Alto vero etiam iure ac privilegio, cuius impertiendi facultate pollet Ordo Philosophorum Vitebergensium, in meritissimum collato, solemnia haec nostra semestria hilariora et splendidiora euaserunt; Vir enim

Excellentissimus, Clarissimus Doctissimusque

**CAROLVS LVDOVICVS BAVERVS,**

*Philosophiae Doctor et artium liberalium Magister, Lycei Hirschbergensis Rector longe celeberrimus, Regiae Societatis literarum, Francofurti ad Viadrum florentis, membrum,*

ne vlla ornamenta, dignissima Viro, in Germania et apud externos, inter primos artium humanitatis doctores et adiutores, per longam annorum seriem iamiam relato, peridumque intimo amico deesse viderentur, neque vlla pars officiorum elaberetur, quibus praestandis paternum Viri summopere venerandi amorem publice celebraret mea, id est nepotis ex sorore, pietas,

**Poeta Laureatus Caesareus**

creatus est ac renunciatus.

Sequuntur nunc vita et scripta breui ipsius carmine designata.

Tradita iudicio Vatis mihi Laurea Vestro

Ad laetas grates carmina nostra vocat.

Gratia sed quando haec vera est, parere iubenti;

En, peragam vitae carmine gesta meae. a)

a) Scribatur vitae formula summa mihi.

Sic



Sic tua fert etenim, Dilecte Assimanne, voluntas,  
 Cui me, sit, quidquam non tribuisse, nefas,  
 Nam Te, ceu natum, patrio complexus amore,  
 Officium agnoui par pietate Tuum.

Verbis illa tamen perscribam vt cuncta facetis,  
 Haud quaquam imponis mollia iussa mihi.  
 Carminis haud res est; quid enim memorabile gessi? <sup>b)</sup>  
 Nec miros casus vita quietata tulit. <sup>c)</sup>

Magna tamen dextri mihi munera numinis exstant,  
 Cunctaque signavit cura benigna Dei;  
 Non haec implexo caecis ambagibus orbe,  
 Simplice sed duxit per bona cuncta via,  
 Nec passa est grauibus luctari casibus aegrum;

Præsentisue minas extinxisse mali.  
 Huic ergo digni reddatur gratia cultus,  
 Inque Deum pietas carmina iussa ferat.

Lipsia me genuit, cunctum celebrata per orbem;  
 Sors fuit haec vitae prospera prima meae.

Nec quo sum natus, non est memorabilis annus; <sup>d)</sup>  
 Nam post secula duo hic festa relata tulit,

Ex quo Lutheri Carolo est praelecta probanti  
 Formula, et Augustae nomen ab vrbe tulit.

Non ego me claro natum patre, non opulento, <sup>e)</sup>  
 Glorior, at certe Vir fuit Ille probus,

Principibus patriae carus, dilectus et imis,  
 Seruauit sanctam muneris vsque fidem.

Huac,

b) In tenui labor est; quid enim etc.

c) nec vexit casus vita quietata nouos.

d) 1730.

e) locuplete.

Hunc, dum funestas properat compescere flammis,  
 Abstulit, heu, misero mors properata mihi;  
 Nam, dum per curas operarum munia didit,  
 En, subito casu vita soluta fugit.  
 Sic mihi bis denis reuolutis orbibus aetas f)  
 Annorum, utroque, en, orba parente fuit.  
 Nam matre vndecimus me iam priuauerat annus;  
 (Goeblero hanc natam duxerat ille sibi)  
 Non mihi diuitias genitor, quis fidere possem,  
 Diuitiis cunctis sed potiora, dedit.  
 Nam me praeclaris commiserat Ille Magistris,  
 Per quos Musarum nunc mihi sacra placent.  
 Neckius a primis me aptauit sedulus annis,  
 Ut possem Ernesto mox placuisse duci.  
 Hunc mihi discipulo senos coluisse per annos  
 Contigit; hinc fluxit vita beata mihi.  
 Hinc ego corruptus nulla tum pectora labe,  
 Castalidum e puro gaudia fonte bibi.  
 Non ego, barbarie tum cuncta tenente scholarum,  
 Imbiberam, quae mox obicienda forent;  
 Sed statim excepi sano informata magistro,  
 Quae regerent studium tempus in omne meum;  
 Sed, quo se iactet Germania laeta magistro,  
 Laudibus, haud opus est, condecorasse piis.  
 Nec, me suscepit cum nostra Academia ciuem, g)  
 Mutata Ernestum est linquere passa fide.  
 Huius ego assiduus sectator ab ore pependi;  
 Fiderem ut huic vni, formula fida fuit.

D

Noa

f) 1750.

g) 1748.



Non reliquos ideo sed spernere Musa magistros  
 Ausa, per hos etiam gaudia firma tulit.  
 Christium et Europae narrantem gesta per orbem  
 Ioecherum, et plures, grata Camoena colit.  
 Non ego Te, sacrae referantem oracula linguae,  
 Fide Hebenstreiti, praeteriisse velim.  
 Tu mihi, quos Oriens Rabbinaque cura recludit,  
 Vt biberem, fontes, vnicus auctor eras.  
 Nec, post Ernestum quem Te magis aequa probaret  
 Musa, fuit; mihi quin illius instar eras.  
 Sic mea per tales firmata Camoena magistros,  
 Iam percepta aliis tradere prompta cupit.  
 Hinc iam solemnī decoratus honore magistrī,<sup>h)</sup>  
 Transacti cursus praemia laeta tuli.  
 Nam, quos Musarum iuuenes pia cura teneret,  
 Vocibus vsuri me petiere meis.  
 Quin et Baueri Illustris susceptus in aedes<sup>i)</sup>  
 Dux proli eximiae, laetus et vsque, fui.  
 Vsque vigent memori transacta hic tempora; nec, quam  
 Hic fuerim felix, grata Camoena silet.<sup>k)</sup>  
 Me tamen, in campos iamiam excurrisse patentes  
 Carae Academiae, prompta Camoena vocat,  
 Vindicat aequa mihi certatus iura libellus,<sup>l)</sup>  
 Vt detur laxas iam referasse scholas.  
 Hinc mea Musarum cultoribus adfuit vsque  
 Cura, et priscorum per monumenta rapit.

Virgilii

h) 1751. i) 1753.

k) Carm. Epiced. in obitum Ill. Baueri, 1765. et gratulat. ad filium, 1790.

l) Disput. de Lectione Thuc. optima interpret. discipl. Lips. 1753.

Virgilii, Flacci, obseuri Thucydidis, audax,  
 Ut caperent sensum, sedula cura monet.  
 Muneris in stabili sed iam me fede locare  
 Haud lenti properat cura benigna Dei.  
 Non me captati commendauere patroni;  
 Verum operi fructum reddidit ipsa seges;  
 Nam, quos tuum iuuenes Academica cura fouebat,  
 Vulgarunt curas ore fauente meas.  
 Hinc ego consensu Patrum designor amico,  
 Et Laubanensis credita cura Scholae.<sup>m)</sup>  
 Hanc equidem rexi bis denos amplius annos:  
 Et flammae et belli tristitia damna tuli.  
 Sed tamen hic egi non vna ex parte beatus;  
 Iuuerunt vitam commoda multa probam.  
 Successuque fidem mihi non caruisse laboris.<sup>n)</sup>  
 Meisnerus certe Schirachiusque docent.  
 Tu vero, Antoni, testis mihi maximus exstas,  
 Vsq̄ue decus curis delictumque meis.  
 Nil Tua praeclari virtus transmisit inausum;  
 Musarum ad quaeuis munera promptus eras.  
 Testis et impensū inter nos liber exstat amoris,  
 Certata inter nos qui sacra metra docet.<sup>o)</sup>  
 Nominis idem Tu celebrasti, carmine graeco,  
 Nostri, cui plaudat Graia Thalia, diem.<sup>p)</sup>

D 2

Hic

m) 1756.

n) Nec me discipulis caruisse fidelibus vsque,

o) Cel. Antonii Vindic. metr. Ebr. Lips. 1771. 1772. cum meis Proluff.  
ap. Langenheim.p) [1765.] Nominis et nostri decorasti, carmine graeco,  
Promta quod agnoscat Graia Thalia, diem.



Hic et Lifchwitia vixi cum coniuge laetus,  
 Quam mecum Hirschbergam mox noua cura tulit. <sup>q)</sup>  
 Huc ego namque, Scholae, nec opinans, ecce, regundae  
 Iudicio Patrum, rite vocante, trahor. <sup>r)</sup>  
 Hic mihi vicanos atque octo gesta per annos,  
 Carmine, nil refert, commemorasse leui.  
 Bina tamen, mea quis effectis cura triumphet, <sup>t)</sup>  
 Non fileat, quamuis Musa modesta, mihi.  
 Nam, ne intentatos caperes, Academia, ciues,  
 Discessum explorat cura seuera leuem.  
 Quod nos priuatim recte vt fecisse pateret,  
 Communem hanc legem publica <sup>u)</sup> cura tulit.  
 Et, cum foedaret sanctas <sup>v)</sup> Comoedia Musas,  
 Vindicat a probro has cura seuera graui.  
 Quod me praecipue exemplo fecisse salubri,  
 Principis assensus, cura imitata, docet.  
 Hic ego, Saxoniae dudum secretus ab oris,  
 Tranquillus laeta sedulitate fruor.  
 Quique ornat priuo Viadrinas corpore Musas,  
 Adfiscit socium me Chorus ipse sibi. <sup>x)</sup>  
 Hic ego quam dulces fuerim fortitus amicos,  
 Haud sensum effugit, dulcis Amice, tuum.  
 Funere sed tamen vxoris viduatus acerbo, <sup>y)</sup>  
 In vacuo seruo tempora sola toro.  
 Quodque olim ratio, nec simplex caussa, vetabat,  
 Nunc aetas etiam, desipere, aucta vetat.

Quae

q) Sors renouata tulit.

r) 1767.

s) exsulter cura patris.

t) regia cura tulit.

u) castas.

x) Sodalit. Reg. Liter. Frcfurti

ad Viadr. 1792.

y) 1784.

Quae tamen vrgentes expleret sedula curas,  
 Summisit natam protinus aequa foror,  
 Huius septenos mihi cura probata per annos,  
 Vxoris noceant ne mihi damna, cauet.  
 Neu desiderio hic langueret sola parentis,  
 Extrahitur comes huc mox repetita foror.  
 Cui per septenos quae reddere contigit annos  
 Gaudia, promeritae gratia fida tulit.  
 Nam puerum me, morte orbatum matris acerba,  
 Fouerat haec curis matris amica piis.  
 Huius et ad firmos me misit cura magistros;  
 Quos legerem et laetus, suggerit ipsa libros.  
 Exulat humanis omnis constantia rebus:  
 Idem annus casu tollit vtrumque graui. \*)  
 Praecipueque Tuae lugenda, Assmannae, fororis  
 Damna, dolent misero tempus in omne mihi.  
 Quam iam de subito recreatam haec tempora morbo \*\*)  
 Reddiderant votis, o mihi laeta! piis,  
 Mox reuocata tamen geminato vulnere clades  
 Vt bis iam erepta condoluisse iubet.  
 Notitiam tamen haec confortia, dulcis amice,  
 Conciliant laeto tempus in omne mihi.  
 Te tenerum, patria decedens vrbe, reliqui;  
 Et talem absenti prouehit hora virum.  
 Vifurus caram, accessisti haec moenia, matrem;  
 Et pia suffecit gaudia visa foror.  
 Hic Tibi montanos discurret cura per agros,  
 Vnde refers Musis munera laeta Tuis.

D 3

Vinc,

x) 1791.

\*) mens. Apr.



Viue, precor, nec me, cognate, en, vnice, linque,  
 Et felix serua tempora laeta mihi.  
 Quae negat et matri mors talis gaudia Nati,  
 Haec me pro matre hic, proque sorore, beent.  
 Te colat incolumem felix Academia patrem;  
 Quemque probas mihi sic, me beet almus amor!  
 Quosque colit fidos nunc Leucoris alma magistros,  
 Horum haud immeritus me beet vsque fauor;  
 Quem sicut magnum haec mihi iam documenta probarunt,  
 Constanti foueat grata Camoena fide!

Hic et scribendi in campum sese ausa Camoena  
 Credere, et haud vnum composuisse librum.  
 Quamquam ego Laubani iamiam Thucydidis alti  
 Edideram, illustres quae iubet ipse loqui.<sup>b)</sup>  
 Et, qui susciperet firmos Academia ciues,  
 Scripta duplex nobis praemia charta refert.<sup>c)</sup>  
 Latior Hirschbergae at mihi se iam pandere campus  
 Coepit, et effusum in scripta seuera rapit.  
 Hic ego, quae referat Paullus Thucydidis, atque  
 Quae regat eiusdem formula dicta, noto.<sup>d)</sup>  
 Et, quae oratorem Paullum facundia signet,  
 Conatu audaci pagina multa docet.<sup>e)</sup>

Hic

b) Thucyd. Orat. Lips. 1758. ap. Breitk.

c) V. d. Vorber. z. Universität in Agendis Schol. Lips. 1765. 2) Warum  
 izt weniger gut vorb. a. d. Univ. gehen? Halle im Waisenh. 1777.

d) Philol. Thucyd. Paull. 1773. Hal. Orphanotr. 2) Logica Paull. ib. 1774.

e) Khetor. Paull. ibid. 1782.



Hic *Theodoretum* illustrant *Glossaria* nostra: f)  
 Scribere Romano hic more *Camœna* monet, g)  
 Et legem atque usum, ac vicina vocabula rebus  
 Colligit in varios h) cura seuera libros. i)  
 Nec non germanis Romana vocabula verbis  
 Aptare ingenue *Lexica* nostra docent. k)  
 Nec *Sandii* curam non est experta *Minerua*  
 Nostram, et iam prima parte nouata patet. l)  
 Et, quorum summam tempus remoratur iniquum,  
 Partem *Oloro natus* reddere saepe monet. m)  
 Nec non, *Ernesti* quae vere ornaret alumnos,  
 Signata est curis formula pura meis. n)  
 Iam, quae sermonem *Taciti* discrimina signent, o)  
 Gnauiter, *Ernesto*, cura, iubente, notat.  
 Tum, quo praecipue iuueniles instruat usus  
*Liuius*, *Excerptis* pagina parca notat, p)  
 Nec, tenues, operae est, hic enumerasse q) libellos;  
 Scribere quos plures annua causa dedit.

Nec

f) Glossar. Theodor. ibid. 1775.

g) *Anleit. z. lat. Ausdr.* Breslau b. W. G. Korn. 1775.

h) Digerit in varios etc.

i) *Uebungs-Magaz.* 3 Bäch. ibid. 1787. 1788. 1792.k) *Deutsch - Latein. Lexicon.* 1778. ibid. (mox denuo proditurum.)l) *Sandii Minerua*, Lips. 1793. Vol. 1.m) *Thucydidis* T. I. Lips. 1790. ap. Schwick.

n) Vera formula discipl. Ern. Lips. 1782.

o) Index Latinit. *Taciti* in Edit. Ernest. Lips. 1752.p) *Excerpta Liuiana*; recuf. Lips. 1783.

q) hic concessisse libellos.



Nec, cuius missa est decreto laurea Vestro;  
 Intactum fugit prompta Camoena decus.  
 Principum in aduentu, \*) medio in discrimine belli  
 Testata est nostrae gaudia fida scholae.  
 Haec eadem Ernesti sacros celebrauit honores;  
 Discipuli pietas nec male pigra tacet; \*)  
 Et fidas lacrymas Thalemanni in funere fudit; †)  
 Quo raptō, patriae lenius vrit amor.  
 Et, cum Bauerus patrio ornaretur honore,  
 Laeta mihi acclamat pagina: *Redde Patrem!* \*)  
 Vinceret et melica quam cunctos Bachius arte  
 Filius, extincto maesta Camoena refert. \*)  
 Tum, quae praeterea vernacula carmina fudit,  
 Complecti numero plurima turba negat.

\*) 1757. Xauerii et Caroli.      s) 1758.      †) 1782.

u) 1790.      \*) in Act. diurn. Hamb. 1793.




Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96  
vol 18



f  
86.







139

1795

DE  
INDEFESSO MVTVAE BENEVOLENTIAE STUDIO  
HOMINI AB OMNI RERVM NATVRA VARIA  
RATIONE COMMENDATO.

O R A T I O

IN IPSIS VTRIVSQVE LAVREAE CONFERENDAE  
SOLEMNIBVS

DIE XXX. APRILIS MDCCCXCV

RECITATA

E T V I T I S

VIRORVM EXCELLENTISSIMI PLVRIMVM REVERENDI  
CLARISSIMORVM ATQVE DOCTISSIMORVM

Q V I B V S

SVMMI PHILOSOPHIAE ET POETICES  
HONORES

T R I B V T I S V N T

PRAEMISSA

A

CHRISTIANO GODOFREDO ASSMANN

DISCIPLINAR. CAMERAL. PROFESSORE.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

1795